



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 3. An à Sacerdote celebrante post ablutionem sumi possint reperta
fragmenta, seu reliquiæ in alio Sacrificio ab alio consecratæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

vel palato post sumptam ablu-
tionem, quam particulam adhibita no-
va ablutione trajicere licet. Imò ex
principio illo communiter recepto,
quòd satisfaciatur legi, qui sum-
ptionem inchoat jejunus, Suarez,
Vasq. Lugo, Diana Dicastillo, Pa-
lao, Coninck, aliique docent,
licere etiam post longam Eucha-
ristiæ distributionem, in fine Sa-
cri sumere deciduas micas; quia
non censetur esse nova Com-
munionio, sed pertinere ad com-
plementum tum Sacrificii, tum
communiois, quam jejunus in-
choavit. Quin imò plures apud
Dianam 3. p. tr. 4. R. 45, &
Burghab. cent. 3. cas. 37. post
Granadum in 3. p. contrav. 6. tr.
10. D. 8. docent etiam adhuc
in Sacristia posse à Sacrificante,
Sacris tamen vestibus induto,
ejusmodi particulas, seu frag-
menta sumi, tum ob insinuatam
modò rationem; tum quia, si
nondum fuit Sacris vestibus exu-
tus, non censetur Sacrificans
omnino, ac totaliter absolvisse
Sacrificium & communionem,
cujus talis particula est comple-
mentum. Alii tamen apud Dia-
nam, & Dicastill id negant, eò
quòd post recessum ab Altari, &
loco Sacrificii jam censeatur ab-
solutum convivium, & Sacrifi-
cium.

Unde melius, si absque irre-
verentia, & aliorum turbatione
ejusmodi fragmenta asservari pos-
sunt, reservantur, ad altare re-

portanda, & ab alio postea Sa-
cerdote ante ablutionem sumen-
da, præsertim si sint particulæ
valde notabiles, vel media ho-
stia, uti contingit in casu Valen-
tini Sacerdotis.

Ad alterum Q. an, si hujusmo-
di reperta fragmenta in alio Sa-
crificio ab alio Sacrificante fue-
runt consecrata, post ablutionem
sumi possint, controversum est
inter DD. Complures probabilius
negant cum Suarez, D. 68. Sect.
6. Vasq. D. 211. c. 5. n. 57. Co-
ninck q. 80. a. 8. n. 67. Bonac.
D. 4. q. 6. p. 2. n. 14. aliisque
citt. Quia horum sumptio non
pertinet ad Sacrificium, & com-
munionem hujus Sacerdotis Sa-
crificantis, nec unam efficit cum
sumptione præcedente ablutio-
nem; adeoque non habet jus su-
mendi non jejunus eas particu-
las, quarum sumptio non est ali-
qua consumatio sui Sacrificii:
Unde si commodè asservari pos-
sunt, servandæ sunt.

Alii tamen cum Palao tr. 21,
D. unic. p. 13. Marchi de Sacram.
Ord. tr. 3. p. 3. c. 3. R. 19. Tam-
bur. de Exped. Commun. c. 2. §. 2,
n. 38. Burgh. cent. 3. Cas. 37. as-
serunt probabiliter, ejusmodi
particulas ab alio Sacerdote con-
secratas, & in Corporali, vel
patena post ablutionem reper-
tas adhuc sumi posse à tali
Sacrificante. Rationem dant;
quia

quia omnes Sacerdotes ab uno, eodémque Christo sunt quomodo unus hujus Minister, sicut etiam unum est veluti specie Sacramentum, & licet particulae illae non pertineant ad complementum Sacrificii, complent tamen eandem moraliter communionem; quia dum Sacerdos ab altari non recedit, sed est adhuc in illo, non censetur moraliter finita consumptio, nec convivium peractum, ut notat Palao l. c. Id, quod practicari ajunt à Viris eximiae sanctitatis, & doctrinae, ac Sacerdotibus purificantibus pyxidem Hostiarum pro renovando Sacramento.

§40 Sed melius hinc distinguit Dicaftill. l. c. inter reliquias parvulas, & majores, & has, & quae commodè ante abluionem accipi possunt, vel ante illam accipiendas esse, vel servandas in Sa-

crario; parvulas autem, quae vix moraliter accipi possunt, nisi adminiculo abluionis, in purificatione pyxidis sumi posse, non solum primam, sed etiam repetitam saepius abluione, nec aliter obligare probat praecipuum non communicandi absque jejuniu naturali.

Notant autem communiter cirt. DD. ejusmodi reliquias dari non posse infirmo, si haec, postquam ille jam communicavit, & abluionem sumpsit, primum in patena, vel corporali reperiantur; quia accepta communionem, & sumpta abluione, finitum jam est convivium, & alias talis infirmus bis communicaret. De quo alibi fufius dictum est in libello de Confessione, & Communionem p. 2.

